



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Q. 4. An Clericus clamando, & alios in auxilium vocando incurrat irregularitatem, si fur cum rebus furtivis aufugiens ab accurrentibus & supervenientibus servis occidatur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

sanguinis, sed satisfactionem, seu compensationem damni dati, quæ tamen protestatio non procedit ex voluntate, ne accusatus occidatur, sed in animo potius contrarium sentit, & intendit?

R. ejusmodi accusantem, seu denuntiantem ab irregularitate excusatum iri modo oretenus, & in foro externo protestetur, adeoque non opus esse, ut protestatio ex animo procedat, sed sufficere, ut evitet irregularitatem, si coram Judice oretenus protestetur, et si in animo occasionem intendat delicto ita exigente, dummodo exterius intentionem hanc animo conceptam non manifestet. Ita sentiunt Covar. Clem. citt. si furiosus 2.p. §. 5. n. 2. Felin. in C. postulatis de homicid. in fin. Suarez l.c. Bonac. l.c. Palao l.c. Henr. l. 14. cap. 11. Avila dub. 9. Conclus. 3. Laym. l.c. & alii contra Navar. c. 27. n. 226. & Sylvestr. V. homicidium 2. q. 8. Ratio est; quia ex una parte in citt. cap. exigitur duntaxat protestatio, nec in eo textu cavetur, hanc protestationem debere ex animo fieri; ex altera parte in foro exteriori, & coram Judice ejusdem est rationis protestatio facta, & protestatio vera; sicut ex communiori sententia docet Covar. l.c. cum Suarez & aliis citt. qui citt. §. 5. n. 1. etiam notat cum aliis non esse necessarium, ut hæc protestatio simul fiat, cum instituitur accusatio, seu denuntiatio, sed sufficere, si fiat in ipso ju-

dicio, antequam sententia feratur. Econtra vero irregularitatem non evitari, si quis protestationem intermitat, etiamsi interiori animo cupiat, mortem accusato non inferri. Ratio est, quia accusantes de crimine, ob quod accusatus morti adjudicatur, incurrint excommunicationem, nisi per Canones excipientur, & excusentur; Canones autem solùm excipiunt eum calum, quo quis suam vel suorum injuriā civili accusatione prosequitur, præmissa protestatione, quod poenam sanguinis non postulet, sed damni illati compensationem. Et hinc hæc protestatio non solùm Clericis, sed etiam Laicis necessaria est, ut notat Palao l.c. eò quod accusatio per se ad defensionem non tendat, sed ad punitionem; ne tamen ipsa punitio accusatori adscribatur, & fiat irregularis, remedium protestationis est à jure inventum ob rationes suprà in citt. cap. 2. insinuatas, & licet in dicto cap. fiat tantum mentio de Clericis, id tamen ideo factum, quod Clericos magis dedecat accusatio, quam Laicos, & quod illi absque urgenti ratione cause sanguinis se immiscere non possint, prout docent Suarez l.c. n. 6. Molina D. 74. n. 9. Navar. cap. 27. n. 213. & alii.

Ad 4. Q. R. Clericum ita cl- 378  
mantem, alioque in auxilium vo-  
cantem probabilius eo in casu non  
incurrere irregularitatem, saltem

¶

si periculum non prævidit homicidii à supervenientibus patrandi ejus clamore excitis. Ita Covar. l. c. verl. octava. Avila D. 5. S. 2. dub. 15. Palao l. c. §. 2. n. 10. Bonac. l. c. p. 1. n. 18. Laym. l. c. Ratio est; quia eo cau non incurritur irregularitas tanquam ex homicidio casuali culpabili, cum talis Clericus clamando, & homines in auxilium advocando ad res suas liberandas, & defendendas nihil peccaverit, nec culpabilem causam illis dederit, nec ipsum homicidium impedire potuerit, uti ponitur. Neque irregularis esse potest ex defectu perfectæ lenitatis; tum quia fur à concurrentibus occisus est præter, imò contra clamantis intentionem, ac prævisiōnem, utpote qui res suas recuperare duntaxat voluit, adeoque occiso non est illi adscribenda tanquam causæ morali; tum quia ex defectu lenitatis solum homicidium authoritate publica factum inducit

irregularitatem, ut tenet complūrū sententia cum Tambur. l. 10. c. 4. de Cens. Palao D. 6. p. 14. La Croix l. 7. n. 70. de irreg. Diana tr. 2. p. 11. R. 63. ubi pro hac sententia affert plures, quam 30. AA. qui docent, neminem ex homicidio fieri irregularem, nisi concurredit ut publicus Justiciæ Minister, siue ad causæ probationem sive ad sententiæ executionem, vel ut privatus injustè & cum peccato. Dixi suprà saltē si periculum non prævidit homicidii à concurrentibus committendi; nam si clamans periculum præviderat, licet non ea intentione clamaverit, sed ut res suas recuperaret, eum tamen fore irregularem, docent complures cum Innoc. & Abb. in C. signif. affi 2. de homicid. Navar. c. 27. n. 236. Sylvest. V. homicidium 3. q. 7. aliisque, de quorum tamen doctrina dubitat, & in contrarium inclinat Covar. l. c. cum Avila, & aliis citt.



CA-